



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XVIII. Argumentum. Sequitur explicatio peccati blasphemiæ. De ea casus, & doctrinæ pro Confessariis. Impugnantur Choreæ, ac saltationes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

3. Respectu Beatorum; quia omnes Sancti studiosissimi fuerunt orationis, & eam maximopere commendaverunt. Hinc S. Aug. Sermon. 220. Recte novit vivere, qui recte novit orare. S. Bonavent. De progressu Religio. cap. 7. Sine isto studio (Orationis Mentalis) omnis Religio est arida; imperfecta, & ad ruinam promptior. S. Nilus Abbas vocat eam Speculum Ecclesiasticorum, in quo mirari se debent. Et Angelicus Doctor aiebat, Ecclesiasticum sine oratione esse militem sine armis. Rodriguez par. 1. tract. 5. cap. 2.

4. Respectu viatorum; nam Ecclesiasticorum munus est docere populum legem Dei; Sed quomodo docebunt, qui non orabunt? P. Vincentius Caraffa Prapostus Generalis Societatis Jesu dicebat, ad convertendum populum opus esse non bono Rhetore, sed bono Oratore. P. Bartol. in ejus Vita, lib. 2. cap. 13. innuens Ecclesiasticum vacantem Orationi. Et apertum est Divinum oraculum Eccles. 39. Justus cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur. Aperiet os suum in oratione; & pro delictis suis deprecabitur. Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentia replebit illum, & ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientia sua.

5. Respectu Necessitatis. Quoniam Theologorum placitum est, Deum ab aeterno decrevisse conferre nobis sua dona, si tamen per nos in oratione petantur, ideo deficiente oratione, donis illis privamur, quod tractat. S. Th. 2. 2. quæst. 83. art. 2.

6. Respectu Utilitatis; quia teste S. August. Oratio justi clavis est celi: ascendit precatio, & descendit Dei miseratio. Et mentiri Dominus non potest, qui dixit: Amen dico vobis, quicquid orantes petitis, credite, quia accipietis, & fiet vobis. Marc. 11. 24. & nil gratius Angelis, quam orantibus addere juxta illud: Prævenierunt Principes conjuncti psallentibus in medio juvenularum Tympanistrarum. Ps. 67. Ex quibus, & aliis longè plurimis concluderunt, necessariam Ecclesiasticis meditationem ad Divinum Amorem acquirendum, siquidem: In meditatione mea exardescet ignis. Ps. 38. 3. legant studiosi il Parocho instructo cap. 25. Ven. Patris Pauli Segneri Soc. Jesu, ut magis cognoscant utilitatem Orationis Mentalis.

DECISIO XVIII.

ARGUMENTUM

Sequitur explicatio peccati blasphemiz. De ea casus, & Doctrinæ pro Confessariis. Impugnatur Choreæ, ac saltationes.

SUMMARIUM

1. Blasphemia an sit jurare per corpus, aut sanguinem Dei?
2. Jurare per membra Christi an sit blasphemia?
3. Blasphemia una an differat specie ab altera?
4. Blasphemus quomodo sit interrogandus à Confessario?
5. Odium, & blasphemia in Deum sunt duo peccata.
6. Choreæ, ac saltationes publicæ quibus argumentis eliminanda?

Ad infra scripta Quæstia, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dicere.

AD PRIMUM. An sit blasphemia jurare per Corpus Dei, per Sanguinem Dei? Inspecito Verborum rigore esse blasphemiam, juxta tex. in cap. Si quis 22. q. 1. Suarez de Relig. tom. 1. lib. 1. cap. 6. n. 11. Doct. Clericali Tom. II. Lib. IX.

Menoch. casu 375. num. 12. Farinac. in Praxi quæst. 20. num. 18. & 19. Ratio est, quia Sacrosanctæ Deitati attribuitur quod non convenit, id est corpus & sanguis. At si hæc verba proferantur ex animi levitate, vel ignorantia, proferentem excusant à blasphemia. Suarez ubi supra, & Valentia 2. 2. disp. 1. q. 13. punct. 1.

AD SECUNDUM. An sit blasphemia jurare per membra Christi? Distinuerunt, vel jurant per Membra Christi, quæ in aliis reputantur verecunda, & inhonesta? & in hoc casu censenda est blasphemia saltem ratione irrisionis. Vel per Membra honesta juratur, & nulla est blasphemia. Ita S. Anton. p. 2. tit. 10. cap. 4. in princip. Tolet. lib. 4. cap. 13. Sanchez in Deca lib. 2. cap. 32. num. 39. Farinac. d. q. 20. num. 20. & seqq.

AD TERTIUM. An una blasphemia differat specie ab altera? Dixerunt non differre ex rationibus Decis. præterita consideratis, quod notat etiam Layman, lib. 4. tract. 10. cap. 6. num. 10. Et licet diversa sit adoratio Deiparæ, & Sanctorum, nempe Latriæ, Dulix, Hyperdulix; & sic videatur blasphemia mutare speciem, sicut differt species adorationis, quam illa percutit, & offendit, nihilominus, cum in Religionem communiter contumeliam, & malitiam habeant, sunt ejusdem speciei, nisi essent hæreticales, vel procederent ex odio Dei, nam ob offensionem fidei, & charitatis Dei, differunt specie. Summa Diana Verb. blasphemia num. 3. ubi utramque opinionem probabilem dicit. Et ipse Diana p. 1. tr. 7. ref. 50. & p. 5. tr. 13. resol. 21. Quæ in Coordinato sunt tom. 1. tr. 7. resol. 31.

AD PRIMUM CASUM;

Tertius in confessione se accusat, protulisse plures blasphemias. Quæritur, an Confessarius debeat eum interrogare, utrum contra Deiparam, vel contra Sanctos eas protulerit? Omnes concluderunt, Confessarium interrogare debere, ob rationem adductam ad Secundum Casum præteritæ Decis. xvii. videlicet, quia licet blasphemiz hujus penitentis secundum aliquos DD. non differant specie, negari tamen non potest, quin gravior, & deformior sit blasphemia in Deum directè prolata, quam alia; prout gravius est blasphemare Deiparam, quam alios Sanctos; ideoque ratione gravitatis, & enormitatis talis circumstantia est exprimenda, ad tradita per Grass. de casib. reserv. cap. 10. num. 9. Cajetan. 2. 2. q. 13. art. 1. Videantur præterea Decisiones de Penitentia Decis. 27. num. 3. ubi gravissimi Auctores allegantur, docentes prædictas blasphemias differre specie.

AD SECUNDUM CASUM.

Quidam ex nimio odio in Deum blasphemavit, & maledixit ejus nomen Divinum. Quæritur, an satis sit, si se accuset, hoc unico Verbo Blasphemavi Nomen Domini? Concordi responsione dictum fuit. Non esse satis, sed explicare Penitentem debere, quod maledixit ex nimio odio in Deum. Ratio est manifesta, quia duplex est malitia in hoc casu, una contra Religionem, blasphemando, seu maledicendo Divinum Nomen; alia ex odio, quod est contra Præceptum dilectionis Dei. Quocirca, cum habeamus in hoc casu, non solum circumstantiam aggravantem, sed etiam mutantem speciem, utraque est manifestanda in confessione, ut docent omnes DD. inter quos Layman, lib. 4. tract. 10. cap. 6. num. 12. Ricciol. d. 2. lib. 1.

lib. 1. cap. 7. num. 16. Comit. respons. mor. lib. 4. q. 9. cap. 5. num. 12. d. mea Decis. 27. num. 3. de Penitentia.

AD CASUM PRUDENTIALEM.

6 **Q**ua argumenta debeat Parochus adducere populo ad eliminandas publicas saltationes, seu choreas tam perniciosas?

Iterum fuit propositus hic Casus & hoc anno, ut numquam satis se fecisse sciant Parochi, nisi eliminetur talis abusus, ubi viget. Ideo ultra praenotata anno praeterito ad Prudentialem Casum *Miscellan. Decis. 4. num. 9.* dederunt infra-scripta argumenta. 1. Populos monendos, Choreas esse circulos Daemoniacos, nam ducuntur per circuitum, & de Diabolo scriptum est, quod Tanquam Leo rugiens circuit, quarens quem devoret. 1. Petr. 5. 2. Esse actus irreverentiae directe contra Deum, quia fiunt diebus festis, in quibus vacandum foret orationi, ac divinis officiis. 3. Esse proximas occasiones labendi in luxuriam, saltem ex delectatione morosa, & desiderio cordis. 4. Saltantes versari magno in discrimine honoris, & vitae ob zelotypiam, & ebrietatem. 5. Parochum aversionem maximam ostendere debere choreis, & contra eas indefinenter praedicare. 6. Hortentur ipsi Parochi praecipue in confessionibus tum Patresfamilias, ac Matres, tum puellas, ut abhorreant saltationes; quas omnes SS. Patres toto spiritu semper sunt detestati, adeo ut S. Augustinus in libro de Decem chordis, dixerit: Rectius facturas foeminas hebraeas, si diebus Sabbathorum nerent, quam totas Nomenias in impudicis saltationibus consumerent. 7. Narrent Parochi historias, quibus constat, gravissimas punitiones esse caelo immisas in saltatores, & sonatores. 8. Sororem S. Petri Damiani ob auditam musicalem cantilenam poenas in Purgatorio per dies 18. luisse; quod majores luent, puellae singulis festis diebus in cymbalis, & sonitu saltantes? 9. Curent Parochi, ut eorum populi meditentur vicinam mortem, poenas inferni, & gloriam Coelestem, & considerent, quot, & quanti olim saltarunt, qui nunc cruciantur in igne aeterno. Ducunt in bonis dies suos, tenent tympanum, & cytharam, & in puncto ad inferna descendunt. Job. 21. 13. 10. Ipsi Parochi induant verum zelum animarum, honoris Dei, & suum munus bene adimplendi, ideo orent, legant Libros Sacros, & singulis festis diebus praedicent, & corda populo- rum ad coelestia inflamment, & a vanitatibus revocent. 11. Tandem legant supracitati Ven. P. Pauli Segneri *Il Cristiano Instruito* part. 3. Serm. 29. per totum, in quo reperient rationes, eruditiones, auctoritates, & exempla ad terendos saltatores, ac saltatrices, pro hujusmodi abusu eliminando.

D E C I S I O XIX.

A R G U M E N T U M.

De eodem gravissimo peccato Blasphemiae quae sita, & casus scitu necessarii. Pro astringenda devotione in Ecclesiasticis qui libri sint magis proprii?

S U M M A R I U M.

1. Blasphemia species diversa. Et qua?
2. Interna Blasphemia an detur?
3. Expuere in Crucem, & eam pugno percuttere quanam species sit peccati?

4. Jurare se quid facturum al dispetto di Dio quale peccatum sit?

5. Libri magis necessarii pro colenda devotione in Ecclesiasticis?

Ad infra-scripta Quasita, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dicere.

AD PRIMUM. Quotuplex sit Blasphemia? Alii, esse duplicem. Unam *Simplicem*, alteram *Haereticalem*. Prima est, quae nec formaliter, nec virtualiter continet falsitatem contra Veritatem fidei. Altera est, quae articulis fidei directe opponitur. *Basseus Verb. Blasphemia, num. 1.* Bonacini in princ. Praecept. Decal. quast. 8. punct. 1. num. 2. Alii, esse duplicem, Oris scilicet, vel cordis. Ore blasphematur tripliciter, Enunciando, ut Deus non est bonus: non est justus. Detestando, ut Pereat Deus, Maledictus Deus, Ir- ridendo, ut Vah, qui destruis templum Dei, Toler. in Summa lib. 4. cap. 13. a num. 6. & seqq. Corde blasphematur dupliciter. Primo per intellectum, removendo quod competit Deo; vel attribuendo quod illi non convenit; & tunc si cum errore contra fidem, est haereticus, si minus est blasphemia simplex. Secundò per affectum detestando. *Summa Tabiena part. 1. Verb. blasphemia num. 2.* Alii esse Triplicem. Prima *Enunciativa*, quando aliquid improprium affirmatur, vel negatur de Deo, Secunda *Maledictiva*, quando quis male loquitur de Deo, aut Sanctis ejus. Tertia *Turpiloga*, cum quis irreverenter verba facit de Deo, & Sanctis. *Vignierius in Institut. ad Christ. Theolog. cap. 10. §. 6.* Alii, blasphemiam esse multiplicem, quia tot sunt modi blasphemandi, quot sunt modi laudandi Deum. At laus refertur Deo, enunciando, deprecando, imperando, optando, admirando; ergo è contra blasphemia alia est *Enunciativa*, ut maledictus Deus. Alia *Imperativa*, ut sit Deus cunctis invisus. Alia, *Optativa*, ut utinam contingat hoc malum Deo. Alia *Admirativa*, ut o Deus crudelis: de quibus omnibus apud Comit. resp. moral. lib. 4. quast. 9. cap. 2. per totum. Plurimae aliae divisiones attatae fuerunt, quae omittuntur, ut brevitati consulatur, & ne his impiis locutionibus mens pii lectoris affigatur.

Ad Secundum. An detur blasphemia interna? Concorditer affirmarunt, quia sicut Deus solo corde laudari potest, ita potest solo corde blasphemari, juxta *Psal. 13.* Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus, & Job offerebat Sacrificia pro filiis suis ad hunc effectum, videlicet Ne forte peccaverint filii mei, & benedixerint (id est blasphemaverint) Deo in cordibus suis. Job. 1. Et sic tenet S. Th. 2. 2. quast. 13. art. 1. Suarez tom. 1. lib. 1. cap. 4. n. 2. Navar. in Summ. cap. 12. num. 18. Toler. lib. 4. cap. 13. num. 6. & Decian. tractat. crimin. lib. 6. cap. 2. n. 2.

AD PRIMUM CASUM.

ANtonius, dum sua peccata accusat coram Confessario, confitetur, semel ira motum Crucem expuisse, & pugno percussisse, nullo tamen verbo prolato, Quasitur, quanam sit haec species peccati? Discordes fuerunt in opinione, non autem in studio, & in rationibus hinc inde militantibus. Alii asseruerunt, supradictum esse peccatum blasphemiae; quia expuere in crucem, eamque pugnibus percutere